



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Instaurat Augustæ supplicationes publicas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

tationem Oppidi eius sacerdotes misit. Interim vulgari cœperat Augustæ pestilentia lues. Tempore vsus est Medicus sacer, vt ex formidatis corporum malis animorum sanaret morbos. Dedit inter cetera operam, vt ad pestem auertendam instaurarentur supplicationes publicæ, quæ Hæreticorum impietate obsoleuerant: habitæq; sunt modestia, ac pietate magna Catholicorum, fremerent licet impij, & quidam procaciter deriderent. Exhortantibus deinde amicis Canisium, vt tempestiuo secessu incolumitati suæ caueret, Ego, inquit, absque sinistro rumore, prauoque exemplo muneri meo deesse, cathedramq; deserere nullo pacto posse videor, præsertim cum sacri aduentus tempora instent. Sunt qui pro Ciuitatis frequētia, & morientium numero haud sæuum admodum putent malum: eoq; sibi non admodum caueant. Atqui, si minus illi contagionem metuunt, quia leuem opinantur: nos nihil metuimus, quia bonum habemus Dominum, qui nos conseruat, ac protegit in hac messe minimè negligēda. Perstitit igitur in statione, & opere; nec boni Domini clemētia constātem seruū fefellit.

Vbi primum noui anni exortus intermissio-

d nem

Instaurat Augustæ supplicationes publicas.

Constantia pestilentia temporis.